

OREMUS.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus; qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

R. Amen.

Deindè annuntiat Indulgentias à Summis Pontificibus concessas Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Posteà cum Sacramento in Pyxide velo coopertâ faciat signum crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quod si ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia eâ quâ decet veneratione Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest, sumpta fuerit una tantùm Particula consecrata, ut dictum est, tunc eâ infirmo administratâ, Sacerdos prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit, et unâ cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbellâ demissâ, latente Pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.

DE SACRAMENTO

EXTREMÆ UNCTIONIS.

ORDO ADMINISTRANDI SACRAMENTUM

EXTREMÆ UNCTIONIS.

Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet infirmus Sacerdos intrans cubiculum dicit:

V. Pax huic domui,

R. Et omnibus habitantibus in ea.